

sed particulariter post lapsum David. Nemo autem hominum post lapsum universaliter ex lege, ne coram homine quidem, nedū coram Deo justificatur *a*: Sed quotquot justificantur coram Deo, Evangelicā justificatione justificantur, quā Deus omnibus in Christum credentibus ex meta misericordia gratis absq; operibus aut meritis propriis non imputat, sed remittit peccata: imputat verò justitiam propter Christi obedientiam seu meritum fide nobis applicatum *b*. Hactenus de justificatione.

*a Psa. II. 43.**b Rom. 5.  
v. 5. 6. 7.*

8 Sanctificatio est pravitatis abolitio, imaginisque Dei per peccatum amissæ in justificatis fide instauratio: quæ per Spiritum sanctum virtute passionis & mortis Christi in hac vita incipitur, in altera verò vita perficitur *c*.

*c Luc. I.  
v. 75.*

9 Consistit autem sanctificatio in duabus partibus: mortificatione carnis seu veteris hominis, quæ est tristitia secundum Deum, efficiens resipiscientiam ad salutē in justificatis fide: & vivificatione spiritus seu novi hominis, quæ est illuminatio mentis, renovatio voluntatis, & purificatio cordis, acquiescentis & lætantis in Deo per Spiritum sanctum, cum serio novæ obedientiæ studio conjuncta.

10 Restat ultimum Christi beneficium

C v